



# Dissertatio juridica inauguralis de jure accrescendi

<https://hdl.handle.net/1874/291333>

6

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
JURE ACCRESCENDI.

QUAM  
AUSPICE DEO,

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

**JOANNIS DAVIDIS HAHN,**

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimen-  
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque  
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini submittit,*

**JUSTUS DE VRY, CIVIS TRAJECTINUS.**

*A. D. 29. Maji, H. L. 2. S.*



TRAJECTI AD RHENUM,  
EX OFFICINA IOANNIS BROEDEL ET,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISSERTATIO JURIDICA  
IN AUGURALLIS  
DE  
JURE ACCRUESCENDI

JOANNIS DAVIDIS HAHN

Philol. & Med. Doc. Philologiae, Physicae Experimentalis & Astronomiae Professor Ordinarius  
N E C H O N

PRO GRADU DOCTORATUS  
Summae in URROQUE JURE Honoribus

IUSTUR DE VLY CIVIS TRAPESIENSIS



EX OFFICINA IOANNIS BROEDERST.  
ACADEMIAE TYPOGRAPHICAE MDCCCLV

VIRO CONSULTISSIMO

D. JACOBO DE VR Y,  
J. U. D. PARENTI SUO OMNI OBSEQUII ET  
HONORIS CULTU PROSEQUENDO.

NEC NON

SPECTATISSIMO, PRÆSTANTISSIMOQUE  
D. JUSTO VAN TONGEREN,  
AVO SUO OPTIMO, ET AD CINERES USQUE  
COLENDO.

ATQUE

AMPLISSIMO, GRAVISSIMOQUE

D. JACOBO JONGBLOET,  
SENATORI ET VICARIO FEUDORUM COMI-  
TATUS CULEMBURGENSIS, ITEMQUE FUN-  
GENTI VICE PRÆFECTI ET COMITIS AG-  
GERUMLINGÆ URBIS, ET COMITATUS BU-  
RENSIS FRATRI SUO ADFINITATE JUNCTO  
OBSERVANDO, COLENDO.

VIROQUE PLURIMUM REVERENDO,  
DOCTISSIMOQUE

D. J A N O D E V R Y,  
REFORMATÆ ECCLESIAE, QUÆ DOROSTADII  
EST, PASTORI FIDELISSIMO, PATRUO SVO  
IN PERPETUUM COLENDO.

NEC NON

SPECTATISSIMO, HONORATISSIMOQUE

D. A B R A H A M O H A R T M A N,  
AVUNCULO SVO OMNI HONORE PROSE-  
QUENDO.

*Hanc dissertationem*

D. D. D.

JUSTUS DE VRX.



*Quod illis accidit, qui longius aliquod iter  
emensi sunt, & vel requiescere, vel vi-  
am, qua incessere, in diversum flectere  
volunt, retrorsum convertant oculos, quantum via  
confecerint, exploraturi; Sic ego emenso studiorum  
meorum cursu tantisper subsistere, & mecum cogi-  
tare coepi, quid à me hoc tempore actum esset. Quid,  
quod idem illud alios ex me sciscitari subaudiam?  
præsertim cum hoc tempore operæ & laborum meo-  
rum præmium aliquod, Honores scilicet publicos,  
ambiam. Itaque ut horum quæstioni, & Legibus  
Academicis, quæ id ex me requirunt, satisfacerem,  
hoc qualecunque studiorum meorum specimen in lu-  
cem edere volui & debui.*

*Ex multis autem argumentis, quorum varietas  
optionem per quam reddit difficilem, Jus accre-  
scendi hoc loco tractare constitui. Novi me in quæ-  
stionem incidere, qua nec subtilior nec perplexa ma-*

gis in universa Juris scientia occurrit; Verum ta-  
lem esse oportet, in qua quis vires suas exercent;  
Porro hanc materiam elaborandam in me suscepi, ut  
cum mihi intricata admodum visa sit, ipse eam distin-  
ctius intelligerem. Id scio, vix quempiam esse, qui  
his majora à me exspectet, atque illud mihi etiam  
persuadeo, me exspectationi illorum, qui vires meas  
norunt, pro tenui modulo satisfecisse.

In hoc autem argumento pertractando hunc serva-  
bo ordinem, ut cum primo dixerò, quid per jus ac-  
crescendi intelligendum sit, de vario modo legandi  
paucis differam, iisque præmissis ostendam, inter  
quos hoc jus locum habeat, & quibus in casibus vim  
suam obtineat. Ad rem igitur.



DISSERTATIO JURIDICA  
 INAUGURALIS  
 DE  
 JURE ACCRESCENDI.

---

§. I.

**A**ccrescere vulgari vocis usu illud dicitur, quod alteri rei ita accedit, ut cum ea firmiter cohaereat. Hoc sensu *l. 1. Cod. de alluv. & palud. pasc.* Portio agri jure alluvionis dicitur ei acquiri, cujus fundo *accrescit*; Verum in hac materia accretio pro ea accessione sumitur, qua cum duo vel plures fuerint ejusdem rei focii, portio deficientis focii non deficienti focio acquiritur.

*Cujacius in parat. de usufr. accresc.* Jus accrescendi definit esse jus nanciscendæ aut retinendæ partis ejus focii, qui non concurrit, vel concurrere desiit; quæ quidem definitio duplicem hujus juris speciem, in quam à juris autoribus passim dispescitur, in se continet: Jus accrescendi nimirum, & non decrescendi; De qua postea.



## DISSERTATIO JURIDICA

### I. I.

Jus accrescendi locum non habet, nisi inter duos vel plures socios, hæredes, puta vel legatarios, ad eandem rem vocatos. Nempe in ipso legandi modo insigne olim erat discrimen, de quo hic non nulla præfari oportebit, antequam de ipso jure accrescendi differam; quod mihi ideo agendum erit, quoniam hocce jus pro vario modo legandi vario quoque modo, antiquo jure se habuit. Aliud nimirum olim erat legatum *per vindicationem*, aliud *per damnationem*, aliud *per præceptionem*, aliud denique *sinendi modo*. Formulas, quibus varia hæc legatorum genera exprimebantur, nobis exhibet *Ulpianus tit. 24. §. 3, 4, 5, 6.*

In legato *per vindicationem*, verbis: *Do. lego.* ad legatarium dirigebatur oratio, atque ex tali legato acquisitio rei legatae non tam facta hæredis, quam ipso jure peragebatur, ex lege sc. XII. tabb. quæ habebat: *Pater familias, uti legasset, ut ita jus esset.*

In legato *per damnationem* hæres damnabatur, h. e. efficaciter jubebatur, ut *daret, faceret*, ejus adeo factum in præstanda re legata exigebatur, ad quod hæres perinde fuit obligatus, ac si à Judice fuisset condemnatus; quare *Ulpianus* jus legati per damnationem optimum esse dicit, propterea quod res quælibet hoc modo legari potuerit, tum quod lis inficiando in duplum creverit, vid. *Ulp. d. T. §. 11. Paul. sent. l. 1. t. 19.*

*Per præceptionem* sic pronunciabat testator: *Titius illam rem præcipito.* Mens erat, ut in judicio familiariae

liæ erciscundæ Titius id, quod sibi legatum esset, præciperet, sive occuparet, quod inde *præcipuum* dicebatur.

Denique *sinendi modus* hac exprimebatur formula: *Heres meus damnas esto, sinere Titium sumere illam rem, sibi que habere.* Qua proin hæres jubebatur pati, ut legatarius sibi rem legatam ipse sumeret, non vero etiam ad eam præstandam obligabatur. *Cajus Inst. l. 2. T. 5. § 6.* Has omnes verborum solennitates nulla necessitate, sed usu tantum introductas, aliorum jam principum constitutionibus sublatis, ipse etiam Justinianus abolevit, omneque in genere legatorum discrimen sustulit, unamque omnium naturam & jus idem esse voluit; enim vero cum vestigia antiqui hujus discriminis inter genera legatorum observati passim adhuc in jure appareant, maxime in responsis veterum Jætorum, quæ non satis accurate discreta, & ad normam novi juris à compilatoribus digesta sunt, id cum maxime efficit, ut hæc de jure accrescendi doctrina perplexa admodum & difficilis reddatur, nauseamque moveat illis, qui leges ad eam relatas explicare, & secum conciliare student.

## I I I.

Nec in ipso tantum legatorum genere, sed & in modo legandi insignis obtinet differentia. Fit nimirum sæpe, ut testator rem unam diversis leget personis, idque separatim, vel conjunctim, qui inde vel conjuncti vel disjuncti appellantur. Dicitur autem nequit, quam hæc inter conjunctos & disjunctos distinctionum farrago conturbet & male habeat discentium memoriam;

necesse tamen est, hanc conjunctorum disjunctorumve familiam nosse illi, qui de casibus, in quibus juri accrescendi locus est, ad normam juris judicare vult. Atque ut à conjunctis ordiar, hi, sunt vel *re tantum* conjuncti vel *verbis tantum*, vel *re & verbis simul*.

*Re tantum* conjuncti dicuntur, qui quidem ad rem eandem, diversis tamen orationibus vocantur; Hac fere formula: *Titio fundum do, lego. Cajo eundem fundum lego. §. 8. Inst. de legat.* Hos proinde res eadem secum jungit, disjungit oratio, quo respectu in disjunctorum classem referuntur, & sæpe disjuncti appellantur. *l. 3. §. 8. Usufr. accresc. l. 1. §. II. Cod. de cad. toll.* Ut inde appareat, idem diverso respectu non esse idem.

*Verbis tantum* conjuncti sunt, qui non quidem ad eandem rem, ad ejusdem tamen rei æquas partes eadem oratione vocantur, hoc fere modo: *Titio & Cajo fundum do, lego, ex æquis partibus.*

*Re denique verbisque simul* conjuncti appellantur, qui in eandem rem indivisam uno orationis tenore vocantur, ut si testator enuntiet: *Titio & Cajo fundum Tusculanum do, lego.* Vel si pro his fratres nominet, vel nepotes. *l. 13. l. 59. §. 2. de hered. instit.* De tribus hisce formulis vid. *l. 142. de v. s. & l. 89. de leg. 3.*

## I V.

Separatim autem triplici quoque modo res eadem pluribus defertur, vel enim 1. eadem res pluribus in solidum relinquitur, quod fit, cum aut diversis hæredibus

dibus præstatio injungitur hac formula: *Titius hæres esto, isque fundum Tusculanum Cajo dato. Mævius hæres esto, isque fundum Tusculanum Sempronio dato.* Aut quoties manifesto elucet, testatorem rem legatam pro numero personarum, quibus eam addixit, multiplicari voluisse, ut si duobus leget centum: *Cajo centum. Titio centum.* 2. Vel ejusdem rei distinctæ partes duobus vel pluribus adsignantur, idque vel simpliciter, partibus tantum nominatis, non etiam verbis distinctis, aut definitis. E. gr. *partem fundi Titio, partem alteram Cajo.* Vel loco, aut alia nota discretis, ut si dixisset: *Titio partem quæ flumini, Cajo partem quæ villæ vicina est.* 3. Vel denique eadem res alteri pure, alteri sub conditione legatur.

V.

Differentia inter legandi modos non in nominibus tantum consistebat, sed alio quoque respectu insignis & multiplex erat; Etenim per vindicationem legari poterant res illæ tantum, quæ tempore mortis & facti testamenti testatoris ex jure Quiritium erant, aliter enim à legatario vindicari nequivissent. Per damnationem vero res omnes sine discrimine legari poterant, etiam alienæ, dummodo ejus naturæ essent, ut ab hærede præstari possint. *Ulpian. l. c. Cajus Inst. II. §. 5, 6.* Legatum vindicationis poterat repudiari, legatum damnationis non æque *l. 7. l. 44. §. 1. l. 86. §. 2. D. de leg. I.* quæ hic summatim attigisse sufficiat, cum ad jus accrescendi parum pertineant.

VI.

## V I.

Ut vero legatum jure civili valeret, requirebatur omnino, ut quod aliqua ex formulis superius allatis testator duobus vel pluribus legasset, verbis ejus formulæ rigide adhæreret, nec ab iis latum discederet unguem; verum cum id successu temporis superfluum videretur, SCto Neroniano cautum est, ut quod minus pactis verbis legaretur, (i. e. quod verbis aliis, alioque modis conceptis legatum esset) perinde valeret, ac si optimo jure legatum esset. *Ulp. T. 24. §. 11.* Donec Constantinus M. ejusque filii rigidam illam & superstitiosam verborum solemnium observantiam prorsus tollerent. *l. 15. C. de testam. l. 21. C. de legatis.* Actionum tamen discrimina pro varia verborum conceptione, qua testator usus fuisset, usque ad tempora Justiniani manserunt, qui ea quoque sustulit; qua de re vid. *Janus A Costa ad §. 2. de legatis.*

## V I I.

Quid autem hæc ad jus accrescendi, de quo hic agimus? Maxime vero hæc præmittenda erant, & distinctius cognoscenda sunt ei, qui illud jus tum ex veteri tum ex novo jure definire cupit. Antiquitus quippe ad legatorum differentias, modumque & formam, qua concepta essent, quoties res eadem pluribus relinquebatur, omnino attendebatur. Si enim conjunctim eadem res per vindicationem legata fuisset, constitutum erat, ut pars deficiens non deficienti socio accresceret; quod

quod vero per damnationem relinquebatur, id eo in casu hæredi cessit, ut qui deficienti alterutro vel utroque collegatario neminem haberet, cui legatum præstaret. Sic jus habuit ante legem Pappiam Poppæam, atque utroque in casu post hanc legem pars deficiens fiebat caduca. Ubi vero disjuncta oratione singulis eadem res legabatur, singulis quoque solidum debebatur, hac differentia servata, ut in legato vindicationis concursu partes fierent, socio vero non concurrente res integra & indivisa alteri socio cederet; In legato damnationis alteri res, alteri æstimatio rei ab hærede præstanda erat, nec jus accrescendi locum habebat. Clare hæc docet *Ulp. d. T. 24. Caj. l. 2. T. 5. §. 6.* Ut adeo hinc manifestum sit jus accrescendi obtinuisse jure veteri in solis legatis per vindicationem, idque usque dum Lex Pappia introducta esset, quam augendo ærario latam esse dicit *Tacit. Ann. l. 3. C. 2.*

Lata autem fuit hæc lex temporibus Augusti, M. Pappia Mutilo, & Q. Poppæo secundo Consl. eaque famosum illud jus trium, quatuor; & quinque liberorum introductum, atque ultimo ejus legis capite constitutum, ut eo in casu, quem dixi, deficiens pars caduca fieret.

*Caducum*, definiente Ulp. proprie dicitur, quod quis sibi relictum ita, ut jure civili capere possit, aliqua de in ex causa non ceperit, à quo distinguitur *quasi caducum*, tale erat, quod vivo testatore deficiebat, interveniente morte eorum, quibus, vel evanescente conditione, sub qua relicta erant *l. 1. §. 2. C. de Cad. toll.* Eaque dicebantur esse *in causa caduci*. Talia ex lege Pappia ærario, ad usus populi inferebantur; quod ipsum accidit, quoties nemo esset, ad quem bonorum

pertineret possessio, vel si quis esset quidem, sed jure suo quacunque de causa excidisset. *Ulp. fragm. T. 28. §. 6. l. 13. l. 15. §. 3. de jure fisci.* Verum sequiori ævo, præsertim Hadriani tempore invaluit, ut caduca quædam non ærarium sed fiscus occuparet, quod clarissime colligitur ex *l. 20. §. 6. de hæred. petit.* In qua oratio Imp. Hadriani exhibetur; Postea vero constitutione Antonini omnia caduca fisco vindicabantur docente id *Ulp. T. 17. §. 2.* Hunc autem esse Antoninum Bassianum Caracallam, Septimii Severi successorem, qui Ulpiano ea scribente in vivis adhuc erat, vel eo liquet, quod cum simpliciter imperatorem vocet, ut passim in scriptis suis facit; Id pluribus adstruit Schult. in vita Ulpiani Fragmentis ejus præfixa.

## V I I I.

Falluntur tamen, qui existimant, legem Pappiam jus accrescendi eo in casu penitus sustulisse; Etenim liberis & parentibus testatoris usque ad tertium gradum lex Pappia jus antiquum dedit. *Ulp. T. 1. §. 25. Celsus l. 29. §. ult. de leg. 2.* Ubi per jus antiquum intelligendum esse jus accrescendi, quod sic κατ' ἐξοχήν vocatur, nemo dubitet. Itidem liberos habenti jus accrescendi relictum fuit, & caducum ex testamento vindicandi, ut colligi potest ex *d. t. 25. & ex Juvenali Sat. 9. v. 86.* Ubi adulter maritum, ex cujus uxore filium progenit, sic ludit:

*Jura parentis habes, propter me scriberis hæres  
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.*

Ha-

Habere autem liberos intelliguntur non illi tantum, qui plures, sed & qui unum habent *l. 14. D. de verb. signifi.* Obtinuit quoque hoc jus in illis, quæ inde ab initio non valebant, & propterea pro non scriptis habebantur. *l. 1. §. 3. Cod. de cad. toll.* tum & quæ post apertas tabulas deficiebant, non in fiscum recidebant, sed penes heredes manserunt; quo spectant *l. 34, 35. D. ad leg. Aquil. l. 53. §. 3. D. de acqu. vel omitt. hered. l. 26. §. 1. D. de cond. & dem.* Ususfructus quoque deficiens non fisco sed conjuncto acquirebatur, quod innuit. *Tit. D. de usufr. accresc.*

## I X.

Quæ hucusque edisserui, ad historiam magis prisca juris accrescendi pertinent, quam hic tradere debui, propterea quod ejus juris vestigia hodie quoque passim in digeitis supersint, haud aliter facile detegenda, & cum aliis recentioris juris legibus in concordiam redigenda. Ast sublata legatorum differentia secus hæc novo jure obtinent, quod antequam ostendam, prius notasse juvabit, jus accrescendi non tam necessitate quadam legum introductum, sed præsumptæ & probabili testatoris voluntati, tanquam fundamento suo superstructum esse; Etenim cum lex XII. tabb. plenam cuivis civi testandi legandive libertatem concessit, hoc ipso voluntatem testatoris instar legis esse voluit, ex qua omnes circa hæreditatem & legata capienda quæstiones decidendæ essent. Jus itaque accrescendi inde natum est, & eatenus locum habet, quod, & quatenus testator partem deficientem ad cohæredem vel collegatarium.



rium potius, quam ad alium quemvis devolvi voluisse credatur.

## X.

Neque enim jus accrescendi inter legatarios tantum conjunctos obtinet, sed & hæredum quavis ratione deficientium portiones accrescunt cohæredibus reliquis, qui hæreditatem occuparunt, eam vel adeundo, vel se ei immiscendo, vel bonorum possessionem jure prætorio concessam agnoscendo. Multo autem latius se hoc jus extendit quoad hæredes, quam quoad legatarios, quippe quo omnes sine discrimine hæredes gaudere possunt, quocunque modo conjuncti, immo si nec re, nec verbis conjuncti fuerint, secus quam in legatis obtinere mox videbimus. Ipsa autem ratio, quare jus accrescendi omnibus hæredibus competat, continetur in trita illa regula juris: *Quod nemo in paganis pro parte testatus pro parte intestatus decedere possit l. 7. D. de reg. jur. l. 1. D. de hæred. instit.* Quod contingeret, si pars quædam hæreditatis deficiens cohæredi non accresceret. Nec testamento tantum institutis, sed & cohæredibus ab intestato vocatis hoc jus conceditur, si nimirum plures fuerint, ejusdem gradus, aut saltem pari successionis jure gaudeant, & ex his unus alterve deficiat, quod hæreditatem adire vel nolit, vel non possit, hujus enim portio reliquis cohæredibus acquiritur *l. 9. D. de suis & legitimis hæredibus.* Non quidem ob dictam rationem, ne scilicet defunctus pro parte testatus pro parte intestatus decedere videatur, sed quod absurdum visum sit, hæredem, qui defunctum

etum repræsentat, ejusque personam sustinet, eam pro parte tantum sustinere, quod contingeret, si portio deficiens cohæredi haud accresceret. Individuam scilicet hæreditatem esse oportet, ut personam defuncti, quam ea repræsentat *l. 8. D. de rei vind. Conf. l. 116. §. 3. D. de leg. 1. l. 34. D. de acquir. rer. dom.*

## X I.

Licet vero ob has rationes accrescendi jure gaudere possint omnes hæredes, in eo tamen non semper æquales, sed alii aliis potiores esse sæpe possunt. Plures namque hæredes singuli eodem modo eademque verborum forma instituti, vel eodem jure ad hæreditatem vocati jus accrescendi æqualiter habent, & ad portionem deficientem omnes & singuli ex æquo vel pro rato concurrunt. Quod si vero diversimode instituti fuerint, ita ut eorum alii conjuncti, alii disjuncti sint, uno ex conjunctis deficiente, portio ejus acquiritur soli conjuncto eodem conjunctionis vinculo, exclusis aliis disjunctis, aut saltem diverso modo & commate conjunctis; sed quando disjunctus deficit, quoniam æquali, imo potiori juri sunt ceteri omnes, omnes quoque ad ejus portionem concurrunt, tam disjuncti, quam conjuncti; sed tenendum hic, plures inter se conjunctos eo in concursu pro una persona haberi, & numerari; Idque semper verum est, quoties conjuncti & disjuncti in eodem testamento instituuntur, conjunctos unius personæ potestate & jure fungi *l. 34. de leg. 1. l. unic. C. §. 10. de Cad. Toll.* Juvabit hic, varios casus, quibus hæc applicanda sunt, exponere.

## X I I.

Testator ita instituit: *Titius heres esto. Cajus & Mævius heredes sunt.* Ex hac institutione *Titius* semissem unam, alteram *Cajus* cum *Mævio* feret. l. 59. §. 2. de hered. instit. At deficiente alterutro ex conjunctis, *Cajo* puta, nihil hic *Titio* acquiritur, sed portio deficiens alteri conjunctorum, *Mævio* scilicet accrescit; quod si vero *Titius* deficiat, pars ejus utrique conjunctorum cedit, qui licet in jure pro una persona habeantur, jam delata eis *Titii* parte scient se duos, & partem inter se dividendam esse.

Sed & si *Titius* ex semisse uno, *Cajus* & *Mævius* ex semisse altero instituantur, *Mævius* autem mortuus sit, portio ejus superstiti conjuncto, *Cajo* nimirum accrescit, idque ob duplicem rationem; tum quia portio mortui pro non scripta habetur, tum quia vivus mortuo conjunctus fuerat.

Quid si testator ita scripserit? *Titius, & filii Mævii, & nepotes Caji mihi heredes sunt.* Quoniam conjuncti etiam, & vel maxime sunt, qui nomine colectivo instituuntur l. 1. in pr. de hered. instit. l. ult. in fin. C. de impub. & al. subst. Propterea filii *Mævii*, item nepotes *Caji*, quotquot fuerint, unius personæ vice & jure funguntur; Deficiente itaque *Titio*, semis ejus portionis filiis *Mævii*, semis altera nepotibus *Caji* acquiritur. Sed jam deficiat unus alterve ex filiis *Mævii*, tum vero eam partem reliqui ejusdem filii inter se dividunt, nec *Titius*, nec *Caji* nepotes in ea quidquam juris habebunt, quia illi ratione filiorum *Mævii* non conjuncti

Juncti, sed disjuncti sunt *l. una. §. 10. Cod. de Cad. toll.*

Testator hoc modo instituat: A. & B. hæredes mihi sunto. C. hæres esto. D. hæres esto. E. & F. hæredes mihi sunto. Quo in casu E. & F. non eodem, sed diverso conjunctionis genere sociantur, quo A & B. cum horum respectu habeantur pro disjunctis. Deficiente itaque A. portio ejus jure accrescendi soli B. defertur, exclusis reliquis omnibus, cum solus B. ei conjunctus sit. Ast deficiat D., hujus pars in tres partes divisa, disjunctorum alteri D. reliquisque A. & B., E. & F., tanquam duæ personæ essent, accrescit.

XIII.

Juri accrescendi etiam locus est, si unus tantum hæres scriptus fuerit, idque ex parte tantum aliqua hæreditatis, triente puta, dodrante &c. quo in casu hæres reliquarum quoque partium, tanquam ex toto esse institutus fuisset, hæreditatem consequitur; Verum eo in casu jus accrescendi non satis commode è voluntate defuncti derivatur; Vix namque credibile est velle testatorem, ut is totam hæreditatem adipiscatur, quem pro parte tantum hæredem instituit; partem enim qui promittit, vel donat, negat quodammodo se totum dare velle. Juris itaque quo hic pars deficiens, non deficienti parti accedit, ratio, non tam in voluntate defuncti, quam in laudata juris Romani regula, quæ eundem testatum simul & intestatum decedere non patitur, quærenda erit; quæ etiam ratio redditur ab Imperatore in *Inst. l. 2. T. 14. §. 5.*

## XIV.

Quod si contingat, testatorem assẽm inadæquatis partibus divisum duobus vel pluribus hæredibus adscripsisse, ita ut pars aliqua vacet; ut si tres instituti sint: A. ex quincunce, B. ex quadrante, C. ex sextante. Vacat hic aliqua pars, sextans nimirum, nec tamen quisquam sine parte hæres scriptus est, cui ea cedat; Constat vacantem partem singulis tacite, pro hæreditaria parte accedere, & (si ex æquis partibus instituti sint) perinde haberi, ac si (singuli) ex tertiis partibus hæreditatis scripti essent, docente id *Justin. l. 2. T. 14. §. 7.* sin vero, ut factum exhibui, ex inæqualibus partibus instituti sunt, singulis pro rata portionis suæ, pars portionis deficientis accrescit, idque juxta calculum geometricum. Accrescunt autem partes residuæ, vel deficientes singulis necessario, & eandem ob causam, qua uni hæredi ex parte scripto reliqua hæreditas acquiritur.

## XV.

His ita excussis varia adhuc supersunt, quæ hic in quæstionem mitti solent, levi tangenda digito, ne in hac materia tam difficili & intricata minori diligentia, quam par est, versari videar. Quæritur imprimis, utrum pars hæreditatis deficiens etiam invito, eandemque detrectanti hæredi accrescat? In hac quæstione distinguendum ante omnia erit, utrum hæres, cujus pars deficit, hæreditatem jam adierit, ac postea deseruerit, nec ne? Eodemque tempore ad id ipsum attenditur in

superstite, nec deficiente hærede. Hac distinctione adhibita rem optimorum interpretum iudicium secuti ita definimus: Ad eum, qui jam ex aliqua parte hæres exiterit, etiam invitum partes deficientium devolvi, idque quoniam iudice Justiniano absurdum esset, eundem ejusdem hæreditatis partem agnoscere, partem respicere *l. 1. C. de Cad. toll.* tum ob alias juris accrescendi causas superius à me expositas; ita tamen ut liberum maneat superstiti cohæredi, utrum totam hæreditatem agnoscere, an totam repudiare velit, docente id *l. 55. de acq. her.* neque enim ipso jure hoc in casu pars deficit, sed casu aut beneficio prætoris, quod præter & contra jus civile conceditur; Enimvero intercedentibus creditoribus hæreditariis, seque ejus parte contentis professis, liberum ei amplius non erit, suam partem juxta cum integra hæreditate deferere, cum jam inde, ex quo suam hæreditatem adiit, tacite obstrictus sit creditoribus, partem hæreditariam æris alieni solvere, idque de suo etiam, si forte hæreditas solvendo non sufficiat, atque sic efficitur, ut nihilominus ex asse hæres evadat, cum pro parte hæres esse nequeat, & hæredatis proin actiones in solidum exercebit, & omne, quo hæreditas premitur, onus in se suscipiet; quamvis ex dicta *l. 55.* colligi possit, eum à creditoribus haud ultravires partis repudiatae conveniri posse.

Atque hæc ita se habent; si postquam uterque partem suam agnovit, alter eam repudiauerit; si vero etiam post repudiationem à cohaerede factam, alter partem suam, quam nondum adierat, ultro adeat, dubium nullum superest, quin ex asse integro hæres fiat, oneribusque hæreditariis omnibus solus implicetur; qui

enim scit, aut scire potuit alio abstinente se oneribus fore implectum, is ea hac conditione videtur adire. *l. 38. D. de acq. velom. hered.* scienti autem & volenti nulla fit injuria.

## X V I.

Dantur attamen aliqui casus, in quibus jus accrescendi ad invitos & nolentes haud transit. Sic, ubi quis adversus aditionem in integrum restitutus est, ejus pars cohæredi non necessario accrescit *l. 61. ff. d. t. vel,* si quis testatoris voluntatem implere neglexerit, in eaque negligentia decreto judicis admonitus annum integrum perseveraverit, atque hanc ob causam partem suam hæreditatis amiserit, ea cohæredi invito non accrescit, ob novam hac de re Justiniani constitutionem, quæ exhibetur *Nov. 1. c. 1.* Nec hic enim ipso jure, sed præter modum & ratione quadam singulari pars deficit.

## X V I I.

Sed quid dicemus, si testator noluerit, jus accrescendi inter hæredes suos obtinere, totidemque verbis scripserit, nolle se, ut hæredi scripto reliquæ vel deficientes partes accrescant. Talem vero testatorem legum prorsus imperitum, vel nimis arrogantem dicemus, qui id quod more & legibus proditum ac introductum est, sua voluntate abolitum cuperet. Id utique & rationi & juri consentaneum est, neminem in testamento suo efficere posse, ne leges in eo vim suam obtineant. *l. 55. de leg. 1.* Neque ergo efficere potest,  
ut

ut alio modo ei succedatur, quam consuetudine & legum tenore constitutum est. Etsi enim voluntas testatoris haeredibus sit instar legis, eam tamen aliarum legum fundamento superstructam esse, certe iis haud aduersari oportet, ut consistere, & vim suam obtinere valeat. Sunt itaque, qui testamentum totum ob eum juris defectum invalidum & irritum fore iudicant, plures testamentum firmum manere, & voluntatem testatoris hac parte insuper habendam esse censent; alii has partes, quas testator accrescere haeredibus noluit, tanquam ex fidecommisso restituendas arbitrantur iis, qui ab intestato successissent, quae postrema sententia Vinio quoque non displicet, quem hac de re videsis *comment. in Instit. l. 2. t. 14. p. 333.*

## X V I I I.

Quae de jure accrescendi haeredibus competente haecenus disputavi, non eo sensu accipienda sunt, ac si in haeredes scriptos tantum quadrarent, cum certum sit, in haereditate ab intestato quoque hocce jus obtinere; Etenim cum lex plures ad eandem haereditatem vocat, liberos puta defuncti, aut agnatos ejus proximios, consequens est, ut inter eos, qui ejusdem gradus sunt, concursu partes fiant, atque adeo horum aliquo deficiente portio ejus reliquis accrescit. *l. 9. de suis & legit. haered. Paul. sent. l. 4. T. 8. §. 26.* verba quidem legis XII. tabb. quae nobis exhibet *Ulp. inst. T. 26. §. 1.* in singulari habent: *si intestatus moritur, cui suus haeres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto.* At *quamvis, inquit Just. Inst. de leg. agn. succes. Singu-*  
C 2
lari



*lari numero usa lex proximos vocet, dubium tamen non est, quin si plures sint, omnes simul admittantur; Etsi enim hæredes legitimi nullo genere conjunctionis conjuncti sint, eos tamen lex quodammodo videtur conjungere, nec inepte hanc conjunctionem legalem dices, etsi nulla ejus apud veteres Jctos reperiantur vestigia. Ut ut res sit, diserte Paulus l. c. ex pluribus inquit hæredibus, iisdemque legitimis, si qui omiserint hæreditatem, vel in aduendo aliqua ratione fuerint impediti, his, qui adierunt, vel eorum hæredibus, eorum portiones accrescunt. Addit: quod in hærede instituto eum, qui acceperat substitutum (Cl. Schulting. legendum hic vult: eoque cohæredi substituto) evenire non poterit; Diversa enim est causa scripti & legitimi. Cujus discriminis inter cohæredem legitimum & substitutum ratio inde petitur, quod huic non ob portionem, quam jam acquisivit, altera obtingat portio, sed ex voluntate speciali testatoris, eique vivo defertur, & ad ejus personam pertineat, non etiam ad hæredes transeat, sed ut partem ex substitutione ei adscriptam acquirat, ac transmittat, voluntas substituti nova requiritur l. 9. de suis & leg. hæred. l. 92. ff. de acq. & omitt. hæred. Quod tamen non obstat, quin, si hæres cohæredi substitutus partem suam semel agnovisset, altera quoque pars deficiens, ipsi sicut invito jure accrescendi accedat, non quidem jure substitutionis, ac ex defuncti voluntate, sed necessitate quadam è legibus Jctorum interpretatione derivata l. 35. ff. de acq. vel omitt. hæred. Nec caducorum hic juri olim locum fuisse, si modo portio dicta post apertas tabulas defecisset, argumento l. 23. ff. de vulg. & pup. subst. l.*

26. §. 1. ff. de cond. & dem. evincitur. bñ, inuoluntate sed, inuoluntate

## X. I X.

Neque illis tantum, quos lex ad successionem vocat, sed & iis, qui jure Praetorio bonorum possessionem accipiunt, jus accrescendi competit; diserte *Ulp. t. de bon. poss. l. 3. §. 9. in bonorum possessione sciendum est, jus esse accrescendi.* Quod quidem eo usque extenditur, ut & illae portiones, quae caeteris si bonorum possessionem petiissent, competerent, ei, qui suam partem admisit, accrescant; quo etiam pertinet rescriptum Gordiani *Cod. l. 6. t. 10.* De cujus mente consuli meretur *Duarenus com. de jure accresc. L. 1. oper. p. 1085.*

Enimvero hic in novam difficultatem incidimus. Constat nimirum, duplici jure alicui deferri successionem, civili puta, & praetorio, unde jam olim inter juris interpretes orta quaestio: an is, qui utroque jure succedere potuisset, omissa intra praefinitum tempus bonorum possessione, ac propterea jure praetorio excidens, integro interim sibi jure civili, accrescendi juri locum faciat? In qua quaestione verius equidem videtur, juri accrescendi locum non esse, quamdiu civili jure haereditas adiri potest, cum hic pars non deficiat ita, ut haeredi eam acquirere liberum non sit *l. unica C. de Cad. toll.* Mirum, juris auctoris, qui hodie supersunt, hunc casum circa bonorum possessionem non observare. Nihil interim obstat, bonorum possessionem aliis ejusdem gradus accrescere, dum & quamdiu alter juris civilis auxilio uti

noluerit, sed erit haec bonorum possessio, quam *sine re* Ulp. vocat *Inst. t. de bon. poss. h. e.* quae alter jus haereditatem evincendi non adimat.

## X X.

Denique eodem modo, iisdemque de causis, & inter illos, quibus competit quaerela inofficiosi testamenti, jus accrescendi locum habet, confirmante id *l. 23. §. 2. ff. de Inoff. test.*

## X X I.

De legitima hic quoque quaeri solet: an ea quoque jus accrescendi admittat? Finge quinque alicui esse liberos, quibus ut notum est, è lege *Falcidia*, & recentiori jure ex constitutione Justiniani debetur semis, horum autem unus quoquomodo deficiat, an reliqui nihilominus semissem ferent? Negat id juxta cum aliis *Duarenus l. c.* & probabilius existimat, cessare hic jus accrescendi, propterea quod lex partem quamcunque filiis deferens eodem tempore ad numerum eorum respiciat, eoque crescente, vel decrescente, portionem quoque iis competentem majorem vel minorem definiat. Accedit, sine conjunctione juri accrescendi non esse locum, nisi in haereditate & usufructu, ubi id ipsum necessitate quadam & consequentia juris obtinet, quae in legitimam non cadit.

## X X I I .

Eadem ratio est, quare patrono invito pars vacans hæredis in testamento liberti scripti non accrescat; quoniam nimirum hæredi scripto nulla ratione conjunctus censeari potest; quippe qui portionem suam non tam voluntate testatoris, quam legis & juris necessitate consequitur; quare ita demum partem testamentariam acquirat, si eo nomine bonorum possessionem à prætore petere voluerit. Clare id docet *Paulus de bon. possess. c. 6.*

De duobus patronis, quorum alter jus patrimonii amisit, videsis supra jam laudatum *Duarenium com. in tit. de jure accr. l. 1. c. 17.* cujus judicium in hac quæstione, ut in plerisque aliis ad hanc materiam spectantibus adeo exactum invenio, ut lectorem etiam admonere debeam, eum diligentius consulat, qui pleraque omnia, quæ huc pertinent, fusius excussa videre cupit, è qua penu haud pauca ad exornandam & locupletandam hanc meam operam depromere possem, ni meæ potius industriæ, quam aliorum doctrinæ, specimen exhibere mallet.

## X X I I I .

Vidimus hæctenus, va inter plures cohæredes jus accrescendi obtineat, uno ex his non valente, aut non volente hæreditatem adire; Nec inter cohaeredes tantum, sed & inter collegatarios huic juri locum esse in præcedentibus dicere occupavi, horumque varia genera ex antiquo jure desumpta in limine exposui, aliquam-  
ve

ve juris accrescendi historiam, prout ante & post tempora legis Pappiæ sese habuit, exhibui, quo facilius via panderetur, singula conjunctorum genera percurrendi. Ab hæredibus autem initium feci, quod hi legatariis in hæreditate potiores, ac velut priores spectentur; jam eo pervenio, ut de jure accrescendi, pro ut inter varias species collegatariorum obtinuit, sublata veteri legatorum differentia, distinctius edifferam.

## X X I V.

Ac primum quidem re conjunctos quod attinet, quos definivimus esse, quibus una eademque res sine partium mentione legata est, manifesto constat, in tali conjunctione testatorem singulis solidum expressis verbis assignare, cum hac exceptione ex effectu legati accipienda: Nisi concursu partes faciant; quoniam tamen hac exceptione non obstante, uno legatum totum capiente, nihilo plus accipiat, quam ei testator dedit, ac aliis demum supervenientibus ex concursu illo legatum dividatur, consequitur, indivisum, & penes unum manere debere, si forte alii deficiant, nec concursu suo legatum prioris diminuunt. Quid vero hoc est aliud, quam unumquemque ex his, qui re conjuncti sunt, jure accrescendi gaudere? quod & confirmat *l. una C. de cad. toll. § 8. Inst. de leg. § fideicomm.* Enimvero ut jus accrescendi hocce in casu locum habeat, manifesto constare debet de voluntate testatoris singulis solidum tribuente; Occurrunt autem casus, in quibus sane, an talis sit conjunctio, non facile est judicare. Illud pro regula tenendum: In omni casu conjunctionem,

&amp;

& jus accrescendi è voluntate testatoris & verborum, quibus usus est, sensu, erui. Me angustia otii, & præfiniti huic specimini limites non patiuntur hic latius evagari, ac omnes & singulos casus possibiles, in quibus de jure accrescendi quæstio institui posset, expendere, atque imprimis metuendum mihi est, ne si spinas hic attingam, iis implicatus impediatur, quo minus metam laboris æque, ut vellem, brevi, & feliciter assequar.

## X X V.

Id præterire non possum, re conjunctos in jure pro una persona haberi *l. 4. ff. de leg. prim.* quapropter usumfructum etiam inter collegatarios eadem re conjunctos æquis partibus dividendum esse hinc sequitur. Etsi autem eadem conditio in usufructu ac in proprietate requiritur, ut conjunctim sit relictus *l. 1. §. 1. de usufr. accr.* Facilius tamen admittitur jus accrescendi in usufructu quam in proprietate; Etenim (1) usufructus interdum accrescit etiam non habenti partem; personæ namque accrescit, non rei *l. 10. ff. eod. l. 33. ff. usufruct. legat.* quare si Titio fundus, Cajo usufructus legatus fuerit, usufructus inter utrumque æquis partibus dividitur. *l. 6. ff. de usufr.* Cum nudam proprietatem sine usufructu legare nemo possit aliter, quam usufructu expressis verbis detracto. *l. 19. ff. de usufr. leg.* (2) In usufructu duobus legato pars acquisita & postea amissa collegatario accrescit, nec ad proprietatem revertitur. *l. 1. §. 4. de usufr. accr.* quod secus se habere in proprietate supra vidimus.

Diversitatis in hoc jure rationem ex Celso & Juliano

D

red.

reddit *Ulp. l. 1. §. 3. de usufr. accr.* hanc, quod nimirum usufructus quotidie constituitur, & legatur, non ut proprietas, eo solum tempore, quo vindicari potest, h. e. quo nondum quæsitæ est. Finito autem usufructu, vel toto, vel pro parte, quod fit, si plures in eundem conjuncti non sint, aut omnes conjuncti eum amiserunt, ita demum revertitur ad proprietatem, à qua separatus erat. *Inst. l. 2. t. 5. §. 4. l. 1. pr. C. §. 3. l. 3. de usufr. accr.*

## X X V I.

Sequuntur re & verbis conjuncti, quos licet secundo loco ponamus, eos tamen in jure accrescendi cæteris omnibus, qui aut re tantum, aut verbis tantum conjuncti sunt, præferri dicit *Paul. l. 89. de leg. 3.* & merito quidem, cum in hoc conjunctionis genere omnium manifestissime appareat, testatorem utriusque solidum dare voluisse, nec partes ex ejus voluntate aliter, quam concursu scindi posse, & debere, cum utrumque sigillatim ad eandem rem sine parte vocet *§. 28. Inst. de leg. L. una §. 11. Cod. de Cad. toll.* Nam quod videri possit, singulis ab initio ex mente testatoris partes tantum viriles fuisse adsignatas, id aliter accipi nequit, quam sub conditione, si concurrant, qua proin deficiente singulis ex voluntate testatoris solidum manet.

Virilium equidem portionum in legato inter plures re & verbis simul conjunctos mentio fit *l. 88. §. 3. ff. de leg. 2.* Sed earum Papinianus meminit, quantum ad effectum, si omnes ad legatum concurrunt, de eo enim

nim in hac lege fuit quæstio, atque illud potissimum ea conficitur, singulos eodem modo conjunctos æquali jure esse, adeoque ubi concurrunt, æquales hoc concursu partes facere.

Sunt & aliæ leges huc relatæ, quæ à norma juris, quam exhibui, specialibus in casibus deflectere primo videntur intuitu, ad eam tamen exactas, opera & peritia virorum doctorum, imprimis laudati antea *Duareni & Cl. Voet comm. ad Pand. tit. de leg. & fideic. §. 60.* hoc loco exponere, & longum nimis foret, & hoc tempore superfluum.

## X X V I I.

Quidam jus accrescendi, eo in casu, quo reliquis ejusdem hæreditatis uel legatis fociis deficientibus unus solidum consequitur, jus non decrescendi potius dicere malunt; quibus ego ob nomina litem non movebo; verum mirari subit, veteres ictos ea appellatione juris dicto in casu non uti, quos tamen rationes, quare jus non decrescendi potius appellandum sit, æque ac recentiores perspexisse vix ac ne vix quidem dubitarem, nimirum, quod aliis ad legatum non venientibus, non tam pars deficiat, nec aliis accrescat, ut ejus qui primus accepit, legatum augeri videatur, sed apud ipsum solidum remaneat, nullius concursu diminuta. *L. una Cod. §. 12. de Cad. toll.* forte tamen, cum venia recentiorum dixerim, veterum ingenia magis etiam perspicacia hac in re fuere, uideruntque, ex pluribus collegatariis, singulis ante jus non decrescendi minus recte attribui, quam de concursu constet, & ex eo concluderunt,



runt, unum ex his, reliquis deficientibus solidum eo jure non consequi, utpote quod ante concursum non ita habuit, quin si reliqui concurrissent, solidum fuisset divisum & imminutum. Quis enim dicat? jus, quod singulis competit, ante concursum, sese ultra portionem extendere, quam concursu facto acquirit, quod cum de singulis re conjunctis verum sit, unus ex his portiones reliquorum accrescendi potius, quam non decrescendi jure consequitur; Neque enim totum propterea habet, quod suo jure effecerit, ne ex eo aliquid decederet, sed quod eo reliquas deficientes portiones occupaverit; Si quis tamen urgeat, jus non decrescendi tum saltem commode dici, postquam constat, reliquos non concurrere, huic non repugno; Enim vero eo in casu vix juris nomen meretur, quo nihil acquirit amplius, quam quod jam consecutus est.

### X X V I I I.

Hic vero veterem illam & tritam quaestionem etiam renovare debeo: Utrum scilicet verbis tantum conjuncti jure accrescendi gaudeant? Dissensum circa hanc quaestionem esse nemo nescit, nec proinde inutile erit hoc loco rationes & argumenta exhibere tum eorum, qui ad hanc quaestionem asseverando, tum, qui negando respondent. Et illi quidem qui jus accrescendi inter eos quoque, qui verbis tantum conjuncti sunt locum sibi vindicare affirmant, his fere rationibus sententiam adstruunt:

- I. Quia divisio in partes, quæ incertæ sunt, non  
ob-

obstat, quo minus ad eandem rem vocati intelligantur.

2. Argumento *leg. 16. §. 2. & 3. de leg. 1.* Cujus verba sunt: *Si Titio, & postumis legatum sit, non nato postumo totum Titius vindicabit. Sed & si testator Titio & postumo aequales partes dare voluisset, vel etiam id expresserit, totum legatum Titio debetur, non nato postumo.* Cui consentanea est *l. 7. ff. de reb. dub.*

3. Imprimis huc facere censent *l. 39. de leg. 3.* ubi adferitur, verbis tantum conjunctos in jure accrescendi potiores esse illis, qui re tantum conjuncti sunt.

4. Dicunt denique, Justinianum sæpe laudata constitutione *de Cad toll.* manifesto statuere, jus accrescendi esse inter eos, quibus aliquid conjunctim relinquitur, & conjunctos dicere, propter unitatem sermonis in unum quasi corpus redactos esse; Quod & in illos quadrare videtur, qui verbis tantum conjuncti sunt. Eodem pertinere dicunt, quod docet *Inst. tit. de leg. §. 8.*

Qui vero contrariam tumentur sententiam, & jus accrescendi verbis tantum conjunctis negandum esse autumant, has rationes fere spernunt, iisque alias graviores & firmiores opponunt. Has potissimum.

1. Quia verbis conjuncti proprie conjuncti non sunt, cum conjuncti illi tantum definiantur esse, quibus singulis totum legatum datum est, quique concursu partes faciunt. *l. 80. ff. de leg. 3.* Cum contra verbis conjuncti partes ab initio acceperint; Atqui jus accrescendi non aliter inter legatarios obtinere, quam si utriusque concursu legatum inter eos scindatur, ex eadem lege evincitur.

2. Quod jure antiquo in legato damnationis duobus conjunctim relicto cessaverit jus accrescendi, non aliam ob causam, quam quod hæres duobus eandem rem dare damnatus, singulis partes dare ab initio à testatore damnatus videbatur *l. 7. ff. de leg. 2. Ulp. Fragm. tit. 24. § 13.* Nec hoc igitur in casu, quo suas cuique partes evidenter adsignat testator, obtinebit, cum novo jure nihil hac parte immutatum sit.

3. Diferte Papinianus: *separati videntur fructuarii, quibus singulis, ab hæredibus singulis, ejusdem rei ususfructus legatur, non minus, quam si æquis portionibus duobus ejusdem rei ususfructus legatus esset, atque inde fit, ut inter eos jus accrescendi non sit.* Ex quo evidenter colligi posse videtur, jus accrescendi non habere eos, qui ob distinctas portiones singulis relictas separati videri possunt.

4. Huc maxime facit, fundamentum & rationem, ex qua jus accrescendi aliis in casibus derivatur, eum in casum, quo duobus eadem res æquis partibus relinquitur, non quadrare; Quippe inter collegatarios jus accrescendi non obtinet ex quadam juris necessitate, ut fit inter cohæredes, sed tantum ex probabili testatoris voluntate, id significante, ut ni concursu partes fiant, singuli rem totam capiant, quæ & uno deficiente, nec impedito altero, quo minus totum sibi habeat, executioni datur; At ubi singulis ab initio suas partes adscribit testator, intelligitur velle, ut singuli sua parte contenti sint; Quapropter siquidem uno deficiente, alter totum caperet, plus omnino acquireret, quam testator voluit.

## XXIX.

Quisquis allatarum rationum momenta rite expendere, facile inveniet, posteriores, quibus jus accrescendi verbis tantum conjunctis competere negatur, prioribus, quibus id defenditur, multo ponderosiores esse, quibus proin, si vel probabilitatem sequamur, cedendum, & in eorum sententiam transeundum erit, qui quæsitum negant; Sed nec argumenta, quæ illud affirmant, tanti ponderis esse, ut nobis moram hic injiciant, facile esset ostendere; sed cum hunc quoque laborem alii me longe doctiores viri occupaverint, nec confidam, me iis melius objectiones solvere posse, satis habeo eorum judicio hac in re acquiescere. vid. instar omnium *Clar. Voet l. c. p. 349.*

## XXX.

Postremo loco illud monendum videtur, ne quis existimet, jus accrescendi tum tantum obtinere, cum duobus vel pluribus simul solidum & individuum corpus legatur, cum ad quantitates & res fungibiles: vinum puta, triticum &c. æque pertineat; Ut quæ in jure à prioribus non distinguuntur, ubi de jure accrescendi agitur; Enimvero quantitatem ita legari pluribus oportet, ut evidentissime appareat, & probari possit, eam ex voluntate testatoris semel tantum præstandam esse. Nam si contra manifestis constet indiciis, testatorem quantitatem vel summam multiplicari voluisse, sæpius præstanda erit *l. 34. de leg. I.*

## XXXI.

## X X X I.

Sed his diutius immorari non lubet. Quin potius Roma tandem in Belgium nostrum redeo, quid moribus nostris circa jus accrescendi constitutum sit, paucis disquisiturus; Nempe nostræ leges haud adeo severæ sunt, quin unumquemque eo, quo contingit, quove velit, modo, mori sinant; Nec quidpiam jus nostrum obstat, quo minus aliquis pro parte testatus, pro parte intestatus decedat. Missas etiam facimus Romani juris subtilitates, quibus sæpe effectum est, ut jus accrescendi contra testatoris voluntatem admissum & probatum fuerit. Hodie itaque jus accrescendi sola evidenti vel saltem probabili voluntate testatoris constituitur, atque inter duos vel plures cohæredes, quibus ab intestato defertur hæreditas, jus accrescendi etiamnum obtinet, quoties quidam ex his, qui simul vocantur, suas partes nolunt agnoscere. Si vero aliquis pro parte vel ex re certa hæres scribitur, reliqua hæreditas ad legitimos hæredes devolvitur; filio tamen, qui ex lege civili, & naturali quodam jure, patri ab intestato succedit, ex re certa instituto, nec cohæredem habenti, totam hæreditatem Curia Hollandica adjudicavit. vid. *Cur. Holl. Decis. 3. cap. 2.*

Id etiam juri nostro cum jure Romano convenit, ut si testator plures nomine colectivo hæredes instituat, puta filios suos adhuc superstites, juxta cum nepotibus alterius filii jam defuncti, uno ex nepotibus deficiente, portio ejus cæteris nepotibus solis accrescit, uno autem

tem ex filiis deficiente, portionem ejus reliqui filiivir-  
ritim, & cum his nepotes, tanquam una persona es-  
sent, acquirunt; quæ omnia in scriptis nostrorum Jcto-  
rum passim obvia, & in vulgus nota sunt. Videri pos-  
sunt *Grot. Manud. ad Jurispr. Holl. l. 2. C. 23. §. 4.*  
*§ 5. Leeuwen Cens. For. pag. 1. l. 3. C. 5. N. 20.*  
*alii.*

Sed jam eo usque crevit mea de jure accrescendi  
disputatio, ut justæ speciminis mensuram affecuta videat-  
ur; subcrevere & alia negotia, quæ me eam longius  
producere non sinunt. Subsisto igitur, & lætum om-  
nibus, difficilium opus aggressis, adscribo verbum:

F I N I S.



V I

E

THE

T H E S E S.

I.

*Systema legum Romanarum exactum quidem, & omnibus fere numeris absolutum est, sed & multa continet, nulla necessitate, nec ratione idonea introducta.*

II.

*Legari alicui res sua potest, ut ex eo legato evadat locupletior.*

III.

*In legato alimentorum, duobus pluribusve simul relicto, jus accrescendi non obtinet.*

IV.

*Nec correi stipulandi, quique alio contractu*

*tractu inter se devincti sunt, jure accrescendi gaudent.*

V.

*Si hæres partem suam hæreditatis, vel legatarius partem legati vendiderit, peracta venditione, portio deficiens, quæ venditori accrevisset, emtori videtur debere accrescere.*



tractu inter se devincti sunt, jure ac-  
crescendi gaudent.

v.

Si heres partem suam hereditaria, vel  
legataria partem legati vendiderit,  
pro rata venditione, portio defuncti  
que venditori accrevisset, emptori vi-  
detur debere accrescere.

Legari alicui res sua potest, nisi in le-  
gato expressum fuerit.

In legato alienationem, duobus, pluribus-  
ve simul relicta, ad accrescendi non  
obtinetur.

vi.

Nec coram stipulante, quae res in con-  
tractu